

semper hemisphaerium illuminat, ad oppositum vero hemisphaerium non transmittit lumen propter terrae interpositionem; unde in illo dies, in isto vero nox est; vel sicut in Olympi montis cacumine, nulla est aeris intemperies, sed perpetua tranquillitas et serenitas; in parte vero inferiori, venti, pluviae et tempestates aliae. Id quod in figura representatum est, Ezech. I. in homine, qui a capite usque ad lumbos erat quasi electrum intrinsecus lucens; a lumbis vero ad pedes usque, quasi ignis exterius splendens; quae visio significabat gloriam Dei redemptoris secundum Gloss. interlin. ibid.

II. Cur Christus hoc modo derelictus est, vel potius derelinqui voluit? Respondeo primo, derelictum esse, ut locum haberet oblatio sacrificii cruenti, pro redemptione generis humani. In cuius figuram Isaac immolandus prius ligatus est a patre, ne resilire posset, aut motum aliquem involuntarium edere, Genes. XXII. Ligatus fuit Christus, cum in hora passionis omni auxilio, consolatione et defensione destitutus, tametsi volens lubens; ad instar Samsonis, qui amore Dalila illectus ultro deposuit robur suum, dum in sinum ejus caput suum posuit, quo tonderi, adeoque robore suo spoliari posset, Jud. XVI. Sic enim Christus ultro se capiendum et ligandum obtulit et ut commode capi posset, in locum proditori notum exivit. Vel sicut vir robustissimus, qui dum ad iudicium sistendus quaeritur, ultro deponit arma sua, quibus si vellet uti facile omnes apparitores, qui ipsum capere volunt, occidere posset. Quia ergo necessaria erat Christi immolatio, necessaria etiam erat derelictio. Quare uti pater non audit filium, male affectum, qua a chirurgis scinditur et uritur, clamantem, et opem ejus invocantem, quia videlicet novit, hanc ipsi medelam esse necessariam: sic Deus Pater non audit filium, sed dereliquit eum in tormentis, quemadmodum et ipse Christus ut Deus, seipsum hominem dereliquit, ut sic sanitas toti ejus corpori mystico conferretur.

Secundo, quia nos dereliqueramus Deum, et ab eo recesseramus velut oves errantes; ideo Deus Pater reliquit Christum in cruce, et quaesivit oves quae perierant. Audi Moysen de populo loquentem, Deut. XXXII. *Dereliquit Deum factorem suum, recessit a Deo salutari suo.* Debuit ergo Christus nostram luere rebellionem et fugam, quod libentissime fecit, ut videlicet Deus Pater in ipso derelicto in cruce, ad nos accurreret, nosque a gehenna liberaret; sicut cum mater aliqua assidens aegroto filio, et interim audiens duos alios cecidisse in flumen deserit aegrum et succurrit illis, qui in aquis periclitantur. Torquebatur in

lecto crucis Dominus, sed nos ad infernum abripiebamur; nobis igitur succurrit Deus tamquam gravius periclitantibus, et Filium dereliquit naturalem in cruce patientem.

III. Cur per interrogationem quaerit et quasi conqueritur: *Quare me dereliquisti?* Numquid ignoravit causam suae derelictionis? Minime; sed hoc fecit primo, ut testaretur mundo innocentiam suam et se pati ob alienam culpam, scire a mundo necessario debebat. Hoc fortasse significant illa verba Psalm. XXI. ex quo verbum istud desumpsit Christus: *Quare dereliquisti me? Longe a salute mea verba delictorum meorum,* id est, calumniae delictorum, quae mihi Pater imposuit, et isti milites mihi impingunt, longe absunt a salute, id est, a vita mea: sen, non sunt delicta mea, sed aliena. Dixit ergo *quare me dereliquisti,* ut nos inquireremus, quare id Pater fecerit. Invenimus enim eum propter scelus populi percussisse Filium, et non ob scelus aliquod Filii.

Secundo, quia praeviderat quam plurimis passionem et derelictionem suam nihil profuturam. Unde in eodem Psalm. ait: *Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea, q. d. inutiliter.* Vult ergo dicere, quod diceret agricola, qui postquam plurimum laborem collocavit in excelsa vinea, postea direpta vel grandinata vinea, ait: *Quare tantum laboravi?* Vix enim pauci mihi reliqui sunt racemi. Sic quaeritur per Michaeam, c. VII. *Vae mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiae, id est, post vindemiam: Non est botrus ad comedendum: praecoquas ficus desideravit anima mea: perit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est: omnes in sanguine insidiantur, etc.*

IV. Cur derelictionis istius protestationem fecit? Respondeo fecisse primo, ut omnes intelligerent, ipsum vere pati et acerbissima quidem. Cum enim ingenti patienti patientia sufferret omnes illos dolores, contumelias et calumnias, nec verbo quidem se defenderet, sed omnino obmutesceret; potuissent aliqui praesentes dicere vel postea fingere, eum nihil esse passum, sed fuisse impassibilem instar lapidis; unde passio ejus pro nihilo haberetur, utpote apparens tantum. Et propterea etiam clamorem adhibuit, ut quodammodo totus mundus audiret et cognosceret, nos esse ludum parvulorum, sed rem seriam, ipsius passionem. Quod si etiam sic fuere quidam haeretici, qui dicebant Christum non revera, sed in phantasmate tantum passum esse, uti Cerdon et Marcion; quid futurum fuisset, si nulla prorsus dolorum suorum argumenta edidisset?

Secundo, ut nobis significaret, quanti ipsum constiterit nostra redemptio, atque ita ad amorem sui nos pelliceret et gratitudinem. Nesciunt liberi, quantum doloris propter ipsos sustinuerit in partu mater; mater bene novit, et si quando in unius partu valde periclitata est, id postea filio narrat, ut propterea magis ab eo diligatur. Hinc Rachel in partu ultimi filii sui, in quo vehementissime cruciatur, adeoque animam egit, vocavit illum: *Benoni, id est, filium doloris sui,* Gen. XXXV. ut nimirum filius aliquando hujus nominis causam intelligens, matri gratior esset. Nescimus et nos quantos cruciatus senserit Christus, dum nos in cruce pareret, sensit autem ipse; ideo nos hac sua protestatione et clamore admonuit, ut ei gratiores essemus, si quidem vere filii doloris ejus sumus, in quorum genitura animam emiseric. Hoc ergo verbo sic quodammodo nos alloquitur: *O filii dolorum meorum, intelligite et pensate, quanti mihi constiterit vestra nativitas, qua vos in Dei filios genui.* Nam in partu illo ab ipso Patre derelictus sum, et praedoloris vehementia animam effudi, quando vos effudit; satis itaque sit dolorum: nolite, quaeso, *addere super dolorem vulnorum meorum.*

V. Cur circa horam nonam dicitur ita clamasse? Respondetur, primo, quia tunc dolor erat acerbissimus, postquam videlicet jam per tres horas pependerit in cruce, jamque aderat tempus cum morte luctandi, quae est omnium terribilium terribilissimum. Itaque tunc maxima fuit Christi derelictio, quando solus in acerbissimis cruciatibus duellum illud mirandum et terribile cum morte debuit inire.

Secundo, quia sol tunc obscuratus erat, quae obscuratio mirabilis, ejus gloriam et divinitatem ostendebat, tamquam propter ipsum facta; ut ita dum tenebrae ostendebant ejus majestatem et divinitatem, ipse interim querimonia sua ostenderet suam desolationem et humanitatem. Haec enim duo in Christo ita conjuncta erant, ut quoties ex una parte humiliaretur ut homo, toties ex altera glorificaretur ut Deus, quod in tota ejus vita cernitur. Nam vel in solo monte Calvariae pendet in cruce, sed glorificatur interim a prodigiis. Blasphematur ab uno latrone, sed glorificatur ab altero. Illudatur a militibus, sed glorificatur a centurione et consortibus. Deseritur a Patre, sed elementa pro eo pugnant.

Documenta ex hoc verbo plurima possunt elici. Et primo, vide Christi patientiam et patiendi ardorem; siquidem ab hora sexta usque ad nonam perpetuo silens pependit in cruce; et ita ultra tres horas (nam ante sextam in crucem

sublatus erat, et post nonam obiit) in acerbissimis cruciatibus perduravit sine omni consolatione. Non erat necessarium, ut tanto tempore Dominus penderet derelictus, sufficiebat unum momentum; nam nec Pater plus requirebat, cum Isaiae LIV. diceret: *Ad punctum in modico dereliqui te.* Sed voluit Christus totum passionis calicem exhaurire usque ad fundum, et nos interim excitare, ut cum ipso sustineamus aliquid molestiae et laboris ad breve saltem tempus, si non tamdiu ut ipse. Quare vehementer confundimur, qui non possumus saepe ad unam vel duas horas sub re divina persistere, silentium tenere: qui unam in orando horam difficulter toleramus, et in una oratione sensus et mentem non cohibemus, quin evagetur ad extranea. O vere detestandam nostram impatientiam! Si enim ita oportuit Christum intrare in gloriam suam, per tam diuturnos scilicet labores, quomodo nos qui vel momentaneos vix possumus perferre, intrabimus in alienam?

Secundo, vide quam exiguae et leves sint nostrae tribulationes et desolationes, si cum Christi desolatione comparentur. Ipse enim omni prorsus auxilio et solatio in passione destitutus fuit, et purissimum ebibat passionis calicem; nobis vero mixtum tantum praebet. Non enim patimur omnia tormenta, nec in omnibus membris, nec ab omnibus deserimur, nec in omni solatio et auxilio destituimur, adsunt enim amici, qui nos consolantur; adsunt vicini, qui compatiuntur; adsunt medici aegris, qui medelam adhibent et bene sperare jubent; adsunt viri misericordes, qui egentibus manum porrigunt; adsunt viri spirituales, qui solantur pusillanimes et pro ipsis orant. Quam ob causam dixit David, Ps. XXXVI. *Non vidi justum derelictum.* Nemo itaque quaerula voce dicat, se a Deo derelictum. Quamvis si ita quispiam derelinqueretur, necdum conqueri posset; si enim Filius Dei derelictus est, quid mirum si derelinquatur servus?

Tertio, vide quam prope adsit Dominus tribulatis et tentatis, licet eos ad tempus deseruisse videatur. Dum enim derelinquitur a Patre Christus, interim ab eodem mire clarificatur per prodigia de caelo et terra, ita ut omnia pene elementa testentur eum justum et plusquam hominem esse, et qui prius eum non cognoverunt, cognoscere incipiant, et pectora sua tundere, quod videlicet injuriam ei fecissent. Denique, post triduum majore cum gloria eum suscitavit. Sic dum tentatur et tribulatur justus, Deum quidem abesse videtur, sed non procul abest: mox enim faciem suam iterum illi ostendit, et dum abest, interim gloriam ei fabricat. Expertus id

est S. Antonius, qui dum aliquando a dæmoni-
bus verbera terroresque perferret, subito lux
divinitus apparuit, qua expavefacti dæmones
diffugere. Antonius vero eo splendore recreatus
erexit se, et quasi præsentem Deum aspiceret,
dixit: *Ubi eras bone Jesu? Ubi eras?* Responsum-
que accepit: « Aderam, Antoni, sed eventum
pugnæ tuæ præstolabar; quam quoniam imper-
territus immotusque viriliter sustinuisti, manet te
victoriæ tuæ indeficiens in cælo triumphus, »
Athanasius in vita S. Antonii.

Quarto, vide humilitatem; eo enim se demi-
sit Christus in cruce, ut etiam a Patre deseri
non dubitavit, eumque jam non quasi patrem,
sed tantum ut Deum suum, quasi Filius non
esset, alloqui voluerit. Quæ profundissima hu-
miliatio expressa est eodem illo psalmo, ex cu-
jus initio verbum hoc desumpsit Christus. Ait
enim ibi David in persona Christi: *In te sperave-
runt patres nostri, speraverunt et liberasti eos: ad
te clamaverunt et salvi facti sunt; in te speraverunt
et non sunt confusi. Ego autem sum vermis et non
homo, opprobrium hominum et abjectio plebis, q. d.
deterioris longe conditionis sum, quam patres
illi, quia deprecans calicem passionis, non sum
auditus, ideoque sum velut vermis attritus in
platea cum morte luctans, cujus nemo misere-
tur. Quinimo: Omnes videntes me, subjungit, de-
riderunt me: locuti sunt labiis et moverunt caput.
Speravit in Domino (dicunt Judæi nimirum) eri-
piat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.*
Ubi vides pene ad verbum prædictas esse con-
tumelias, quæ Christo a vilissimis homuncioni-
bus illatæ sunt, quando a plebe abjectus, et
Barabbæ posthabitus fuit, quando *stabat popu-
lus spectans et deridebant eum principes cum eis,*
Luc. XXIII. quando blasphemabant, *moventes
capita sua,* Mat. XXVII. quando dicebant: *Confi-
dit in Deum, liberet eum nunc, si vult eum,* Ibid.
Quoniam igitur eo se demisit, ut non tam
homo, quam hominum opprobrium et vermis
esset, hinc non ausus est nunc vocare Deum,
Patrem suum, quod tamen ausus est prodigus
ille filius ad patrem suum reversus: *Pater, pec-
cavi in cælum, etc.* Ad hunc igitur novissimum
locum Christus in passione se dimisit, ubi Deo
et angelis mirandum spectaculum factus est.
Mira quidem fuit humilitas B. Alexii, quando
in potentissimi et ditissimi patris domo delituit
sub scala, abjectissimo in loco, vilissimo men-
dici habitu, ubi a domesticis irrisus, vexatus et
sæpe sordibus est fœdatus. Quomodo enim
potuit tam indigna pati et se continere, ne pa-
trem appellaret, et se filium ejus proderet? Sed
discipulus tantum Christi fuit Alexius: magis

ejus Christus multo profundius descendit et
longe indigniora pertulit. *Quid igitur superbis,
terra et cinis? Quid tu coram Filio Dei, fœtidis-
sima superbia?*

Quinto, vide ingenium reproborum, qui quæ
audiunt bona et salutaria, ipsi in reprobum tra-
hunt sensum et risum. Dixerat enim Christus:
Eli, Eli lamna sabachthani, id est, *Deus meus, Deus
meus, etc.* Quidam autem circumstantes verba
hæc depravarunt, et ad Christi irrisionem ver-
terunt, ludentes in nomine *Eli,* quasi Eliam in-
vocaret Dominus. Nimirum ita facere solent
homines otiosi, sacrorum contemptores et re-
rum suarum incurii. Quod apostoli et cæteri
justi recte intellexerunt et interpretati sunt, hoc
Judæi male. Ita verba salutis, seria sunt bonis,
reprobis vero ludus et jocus. Sed quanto his
deterior Calvinus, qui impiissime blasphemavit,
quasi in hoc verbo Christus desperavit! O lin-
guam nequam! Linguam præcidendam et Cal-
vini cauterio dignam! Linguam minutissimè scin-
dendam, et avibus projiciendam, uti linguam
Nicanoris, II. Macch. XV. Quomodo desperare
potuit, qui non rapinam arbitratus est, esse se
æqualem Deo. Quomodo desperare potuit, in quo
spei non erat locus; siquidem reipsa beatus
semper erat? Quomodo desperavit, qui dixit:
Deus meus, Deus meus? Non sunt hæc verba des-
perantis, sed in Deo confidentis. Verba sunt
prophetica, Psalm. XXI. qui totus de passione
Domini præ omnibus disertissime loquitur, in
Christo tunc impleta, ita ut Christus non tam ex
suo quam Davidis ore loqueretur, Deinde Lutherus
his iisdem Christi verbis nequissime abuti-
tur, dum ea in perniciem sponsæ Christi trahit,
quando in admonit. pro sedition. scribit, pa-
patum jam clamare *Eli, Eli,* brevi auditum iri:
Expiravit. Sic nimirum et iste ipsismet Christi
verbis sponsam ejus impugnat. Sed heus tu
Christi carnifex et Ecclesiæ turbator! Quomodo
expirabit aut interibit Ecclesia, quæ in petra so-
lida est? Sed recte mentitus es in caput tuum.
Nam plusquam centum anni sunt, ex quo hæc
scripsisti. Et vivit tamen ac regnat Ecclesia,
vivetque et regnabit. Lutheranismus autem ve-
rissime animam nunc agit. Ejusdem farinae
sunt illorum asseclæ, qui dogma catholicorum
depravant, dum ogganniunt sanctos a nobis coli
pro diis cum invocantur. Nimirum isti ex Eli,
faciunt Eliam: et dum nos soli Deo cultum la-
triæ damus, illi occlamant: Eliam vocant isti:
sanctum pro Deo colunt. Sed aliter invocamus
Deum, aliter et sanctum. Illi dicimus: *Miserere
nobis;* isti vero: *Ora pro nobis.*

§ XXXVII. -- DE QUINTO CHRISTI VERBO.

I. Significat sitim corporalem. — II. Sitim ad imple-
dam voluntatem Patris. — III. Significat sitim plura
patiendi. — IV. Sitim animarum et conversionem
gentium: 1. Disce patientiam. 2. Disce obedientiam.
3. Desidera cælestia bona. 4. Disce relevare sitim
Christi.

THEMA.

Sitio. Joann. XIX.

Mirari aliquis posset, quid voluerit sibi David,
quando Psalm. XXI. qui totus passionem Do-
mini clarissime describit, et de quo præcedens
verbum desumpsit Dominus, inscribit, pro cerva,
(juxta Hebr. textum) sed non abs re fecit hoc
David. Etenim S. Aug. S. Hier. et alii super
XII. Psalm. scribunt cervum duplici potissi-
mum ex causa vehementem pati sitim; quando
videlicet a canibus agitatus, et altissimas rupes
petere coactus est, et quando serpentes ex ca-
vernæ spiritu narium suarum extractos devora-
vit. Hinc enim vehementi siti æstuans fontem
aliquem petit, ubi se aquis proluit, tum cornua
deponit, et pristinas vires recipit, adeoque modo
aliquo renovat. Quod si ita est, non incongrue
potest cervo comparari Christus Dominus, si-
tiens in cruce, quoad utramque causam. Nam et
a canibus circumdatus, (de quibus Psalm. XXI.
ait: *Circumdederunt me canes multi*) Judæis ni-
mirum oblatrantibus in Calvariæ montem actus
et agitatus est, criminumque serpentes et cor-
dibus peccatorum extractos in se transtulit, in-
deque siti æstuans, in cruce dixit: *Sitio;* haus-
toque aceto paulo post vitam deposuit et tertio
die resumpsit. Cerva autem dicitur potius quam
cervus, quia in natura tantum humana passus
est. Hujus ergo cervæ sitim nunc expendamus.

Non unam, sed multiplicem sitim, hoc verbo
explicat Dominus.

I. Sitim significat corporalem, quia per tot
horas vehementer fatigatus, et sanguine exhaus-
tus, revera sitiēbat et vehementer sitiēbat. So-
let enim magnam corporis fatigationem et mul-
tam sanguinis effusionem naturaliter sequi sitis,
quæ maximum affert tormentum. Patet ex his-
toria S. Emmerami, qui membris articulatim
truncatis, cum plurimum emisisset sanguinem,
morti proximus, instar trunci alicujus jacens, de
siti tantum quærebatur, apud Sur. 22. sep-
tembris: *Novi ego,* inquit Card. Bellarminus, l.
II. de septem verbis, c. II. *personam, quæ multis
affecta vulneribus, ea quibus ingens copia sanguinis
effluerat, nihil nisi potum desiderabat, quasi ni-*

hil mali pateretur præter ardentissimam sitim.
Sane, qui vehementer sitiunt, in potum avidis-
sime irruunt, et quandoque etiam lutasas fœti-
dasque sorbent aquas, lixiviam, urinam, oleum,
atramentum vel sanguinem, et horribiliora, quæ
nisi extrema necessitate coacti, non biberent.
Scribit de Alexandri M. exercitu Q. Curtius, l.
VII. cum is per desertum aqua destitutum iter
faceret, præ sitis vehementia etiam oleum bi-
bisce, et cum tandem ad flumen Oxum perve-
nisset, tanta aviditate hausisse, ut plurimi in-
tercluso spiritu extincti sint: additque: *Multo
major horum numerus fuit, quam ullo amiserat
prælio.* Maximum itaque sitis est tormentum;
sed quantum in Christo fuerit crucifixo quis va-
leat explicare? Præcesserat ingens fatigatio,
tractio, circumductio, de tribunali ad tribu-
nal, vexatio, oneratio, sanguinis effusio, et
patebant adhuc quatuor sanguinis rivi in ejus
corpore; annon dudum jam a multis horis siti-
visse Christum putabimus? Et tamen per tot ho-
ras usque ad crucifixionem, et in ipsa cruce per
tres horas sitim istam pressit, vicit, tacuit, nec
nisi extremo spiritu, jamjam moriturus, aperuit,
quo nimirum indicaret se revera maximam to-
lerare sitim. Multi tunc erant in Christo atrocis-
simi dolores, uti capitis ex spinarum aculeis;
manuum et pedum ex clavorum penetratione;
corporis totius ex vulneribus et gravi pondere;
nullum tamen illorum verbis expressit præter-
quam sitim: quia nimirum cæteri dolores tole-
rabiliores erant. Accedit et argumentum, quod
licet acetum tantum, non vinum aut aqua, a
ministris ei propinatum sit, id tamen acceperit
Dominus quantumvis asperam et ingratam po-
tionem, ut inde colligeremus, quanta fuerit ejus
sitis. Porro hanc sitim suam explicare voluit Do-
minus, tum ut sciremus hoc tormentum, quod
non ita nobis manifestum erat, ut alia tormenta,
ei non defuisse: tum, ut per hoc ostenderet se
reveram hominem esse, et morti appropinquare;
siquidem homines exhausti sanguine naturaliter
sitiunt, ut diximus.

II. Significat sitim adimplendi voluntatem
Patris et Scripturam, in qua illa continebatur,
adeoque perficiendi opus redemptionis. Hoc in-
dicat Joannes, cum ait: *Ut consummaretur Scrip-
tura, dixit: Sitio.* Quia enim videbat Christus
omnia, quæ passurus est, ab æterno præordi-
nata et decreta a Deo, eaque in Scripturis præ-
dicta; ideoque vehementer æstuabat implere vo-
luntatem Patris per omnia ad unguem, ita ut
nec apex præteriretur aut iota unum. Cum ergo
etiam sitim et aceti potionem sibi decretam in
Scripturis expressam solamque sibi superesse

exsolvendam sciret, ideo dicit: *Sitio*; Dei scilicet voluntatem, magis quam potum. Sciebat enim Dominus parum sibi profuturum, quem porrecturi erant, potum, nihilque necessarium; plurimum autem referre ut Scriptura impleatur.

Ubi bene notandum, quod ipsemet Dominus hoc verbo voluerit hostes suos monere, ut, quod supererat, acetum bibendum, porrigerent. Sciebat Dominus non vinum aut aquam sibi porrigendum esse, sed acetum, et rursus hoc sibi non oblatum iri, nisi sitim suam exponeret. Quare uti, ne aliquando de Scripturis præteriretur, ipse magis vigilabat, quomodo Patris voluntati omnia satisfaceret, quam hostes ejus, quomodo eum affligerent, tametsi alioquin ad hoc ipsum studiosissimi. Hæc eadem ex causa Petrum volentem sibi eripere hunc passionis calicem in monte Oliveti, tam serio reprehendit, cum dixit: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* Joann. XVIII. Consideravit nimirum Christus inobedientiam Adami et ejus posterorum, qui tam facile extenderunt manus ad res vetitas, Deique voluntatem tam parvi æstimarunt: ideo ipse eam tam accurate perficere voluit, ut sic transgressioni responderet satisfactio. Deinde in lingua facile peccatum est per delectationem gustus; in lingua sedulo satisfactum est per sitim.

III. Significat sitim plura patiendi, si necesse foret, et ita videretur cœlesti Patri. Cum enim potus homini exhausto prolonget vitam, et acetum sistat sanguinem ut vult card. Baronius: item, cum Dominus prænosset se hoc verbo non quæsiturum sibi refrigerium, sed novum cruciatum acerbæ potionis, juxta prophet. Ps. LXVIII. *In siti mea potaverunt me aceto*, annon hoc ipso insinuavit, quam libenter plura pati vellet, qui sciens volens petiit novi doloris materiam? Quemadmodum enim Sanctus Laurentius semitostus in craticula, cum ad tyrannum Valerianum dixit: *Ecce miser, assasti jam unam partem, gyra ad aliam, et manduca*; quo verbo manifeste ostendit, quam paratus et cupidus esset pro Christo ampliora perferre supplicia; sic etiam Dominus, dum jam fessos canes hoc verbo rursus in se concitavit, ut novo appetere morsu acetosi potus, annon dilucide ostendit, quam adhuc libenter tristiora pati vellet, si satis hoc non esset? O sitim miram! Sed nimirum Christus voluit rependere sitim pro siti, et ita Deo satisfacere etiam quoad singula. In peccatoribus enim sitis quædam est peccandi multo amplius, quam peccant, si facultas eis daretur. Sed quia non possunt tantum peccare, quantum cupiunt, ideo multa omittunt peccata; perpe-

traturi alioqui horribiliora. Sic enim impij dicunt, Sap. II. *Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra*. Ob quam inextinguibilem peccandi sitim S. Gregorius asserit juste condemnari peccatores ad supplicia æterna, ut alibi vidimus. Itaque juxta præceptum illud: *Oculum pro oculo, dentem pro dente*: offert Dominus sitim patiendi pro siti peccandi. Id quod in Psalm. LXI. pulchre expressum fuit; ubi enim Latinus interpret habet: *Cucurrit in siti tibi*; Græce habetur: *Cucurri, vel cucurrerunt*. S. Ambrosius utramque lectionem recipit; quia nimirum et peccatores cucurrerunt in siti, et Christus cucurrit in siti; peccatores ad plus peccandum, Christus ad plus patiendum.

V. Significat sitim animarum et gentium conversionem. Cupiebat enim Dominus omnes populos, postquam eos quoad sufficientiam jam redemisset; et omnia consummasset, redemptos etiam quoad efficaciam; seu cupiebat sibi eos unire per amorem, quomodo potus unitur corpori et visceribus. In quem sensum dixit apostolus ad Philipp. I. *Testis mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi*. Hanc sitim explicavit Samaritanæ, cum petiit ab ea bibere, non sane aquam corporalem, sed ipsius animam. In hujus rei figuram Samson, postquam hostes suos debellasset, magna æstuabat siti. Unde aperuit Dominus dentem in maxilla asini, et eduxit inde aquam, qua hausta Samson refocillavit spiritum, Jud. XV. Sic postquam Dominus per aereas potestates debellasset vehementiori urgebatur siti imbibenda animarum. Et quidem paulo post aperuit Deus os centurionis, qui credere incepit, adeoque sitim Christi nonnihil revelare, quem secuta ejus cohors, et postea paulatim innumeri; tametsi non defuerunt etiam, qui acetum ei porrigerent, obstinati videlicet Judæi et omnes impænitentes ac mali Christiani, qui instar acetii corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis. De quibus queritur Dominus, Isaïæ V. quod maximis impensis vineam extruxerit et instruxerit; et tamen: *Expectavi, inquit, ut faceret uvas, fecit autem labruscas*; quemadmodum expertus est in Judæis, et nunc experitur in plurimis Christianis.

Nunc totidem documenta ex hoc verbo eruemus, quot ejus significationes vidimus. Docet igitur Christus hoc verbo ex cathedra crucis, primo patientiam; siquidem per tot horas toleravit immanem sitim, quam tamen nonnisi sub extrema vitæ periodo voluit patefacere, ad nostram instructionem. Facile potuisset Dominus efficere, ut dulci vino potaretur, idque ab ipsi-

angelis ei administraretur; vel ex proprio aliquo dente fons illi prosiliret; sed his posthabitis aceto potari voluit, ut doceret nos sectari, non quæ corpori blandiantur, sed quæ prosunt animæ. Propterea Christus beatæ Catharinæ Senensi apparens, hoc primum documentum dedit: *Filia, amara dulcia reputa, et dulcia amara*, hoc est, quæ amara sunt carni, dulcia esse spiritui; et quæ dulcia sunt carni, amara esse spiritui. Jejunium, vigiliæ, humi cubationes, confessio peccatorum, solitudo, etc. amara sunt carni, dulcia spiritui. Gula vero, somnolentia, lectus mollior, colloquia sæcularia, etc. dulcia sunt carni, sed amara spiritui. Hinc edocta sancta prædicta, duarum coronarum sibi a Deo oblata- rum optione data roseam contempsit, et spineam capiti suo impressit. Sed video, quid aliqui respondeant. Non est nostrarum virium, inquit, Christi patientiam imitari, cum ipso crucifigi, cum ipso tamdiu tolerare sitim, pendere in cruce, etc. sed non est necesse, ut hæc eadem præstemus omnes, quemadmodum nec humicationes, flagella, cilicia, jejunia quotidiana in pane et aqua, etc. Heroum ista sunt et militiæ spiritualis ducum, faciliora sunt gregariorum militum exercitia, quibus Christum imitentur. Primo, si præcepta Ecclesiæ sedulo et ex animo observent velut jejunium quadragesimale, et quæ per annum præcipit, s. missæ integram attentamque auditionem in diebus festis, confessionem et communionem in paschate; hæc enim ut rite et cum fructu peragantur juxta mentem Ecclesiæ, profecto patientiam requirunt. Similiter sacrarum horarum recitatio clericis injuncta. Opera item satisfactionis in confessione præscripta. Deinde, quæ Deus ipse præcipit, ut tolerantia et remissio injuriarum, supportatio infirmorum et malorum vicinorum, resistentia contra dæmonum insidias et tentationes, fuga occasionum peccandi, etc. Denique, quæ casu et fortuna accidere videntur, uti nimia siccitas, nimia pluvia, pestis, penuria, morbi, etc. Sane omnia patientiam exercent ac requirunt, et quidem ex debito. Affligere autem corpus ex mera electione, et nolle interim pati quæ necessario patienda sunt, aliud non est, quam velle facere eleemosynas et nolle solvere debita.

Secundo, obedientiam et obediendi studium; siquidem Christus acetum petiit ac sumpsit ut impleretur Scriptura seu voluntas Patris; nec expectavit donec ipsi ministri id ultro offerrent, nec passus est id eos oblivisci; sed ipse eos monuit, quod videlicet adhuc aliquid superesset patiendum ex Patris præscripto; atque ita totum exhaurire passionis calicem, a Patre sibi propi-

natum, usque ad ultimam guttam voluit. Itaque et nobis imprimis adnitendum ut omnia ex præscripto divinæ legis seu ex motivo obedientiæ peragamus quæcumque agimus bona, ut ita omnia non proprium tantum, sed etiam obedientiæ sortiantur meritum. Utilissima est hæc industria acquirendi simpliciter opere duplex semper meritum; id quod Christus tota vita egit, dum omnia opera sua obedientia informavit et ad Patris voluntatem perficiendam retulit. Hinc toties adjunctum est ejus operibus: *Ut Scriptura impleretur*. Sive ergo jejunamus, sive missam audimus, sive confitemur, sive aliud præceptum implemus, omnia faciamus, tamquam ex obedientia. Neque expectemus donec ab aliis moneamur vel jubeamur aut etiam compellamur adimplere quæ præcepta sunt; sed ipsi circumspectiamus quid nobis faciendum incumbat; si enim Dominus in tantis doloribus et jam fugiente anima lustravit adhuc Scripturas, numquid superesset faciendum, et deprehensa una prophetia necdum expleta, monuit lictores, ut facerent quod reliquum erat; cur non faciant hoc ii qui cum omnia fecerint quæ scripta sunt dicere adhuc debent: *Servi inutiles sumus, fecimus quod debuimus?* Nec committere debemus, ut aliquid eorum obliviscamur aut impedimenta nobis injici patiamur, v. g. ne præscripto paschali tempore confiteamur et communicemus, per quadragesimam jejunemus, etc. Quod si scire velis, quid agendum tibi sit, inspice Scripturam aut concionem, ea tibi dicet, quid statui tuo competat, et secundum illam vitam tuam compone.

Tertio, desiderium solidorum et cœlestium bonorum, quæ nobiscum ferre ad sepulcrum possimus; contemptum vero terrenorum et quæ hic relinquere cogimur; siquidem et Christus desiderabat, quantum in ipso erat, diutius protrahere sitibundum illud convivium suum in mensa crucis, adeoque magis adhuc cumulare merita passionis suæ, (uti docet S. Chrysost. in c. XIX. Joan.) nedum ante præscriptum tempus abrumpere. Homines ut plurimum orationes, jejunia, confessiones, festivas vacationes et alia pia opera celeriter abrumpunt, vel saltem abrumpi cupiunt, ad negotia vero profana, ad epulas, ad choreas, ad confabulationes, tota corde anhelant et ruunt, atque in his absque lassitudine diutissime se detinent. Querunt potius cumulare pecunias quam merita, dape quam bona opera. Sed o noxiam sitim! Nam imprimis non exstinguitur per aquas illas, sed potius accenditur et augetur; quemadmodum sitis naturalis per aquam marinam, quia de illi-